AB ECCLESIASTICO IVDICE arbitrante in commiſſione adminiſtrationis *bonorum ab inteſtato decedentium non licet* appellare. *Arg.* ~~*ti.ff.de le*~~*.dd.* & can.de accuſ. ſuper his.

QVid te conquereris læſum? quid judice ſancto
Diſceptante, noua lite moleſtus ades.
Deſine juſtitiæ ſacrum turbare ſenatum
Deſine vindictam quærere quiſquis eris.
Te nullis tabulis inſcripſit dextra paterna
Hæredem, rebus quo fruerere, ſuum.
Perfunctus fato pater eſt, nec quem cupit uti
Ipſe bonis partis, chartula parva docet.
Has ſacroſanctus judex componere lites
Nemo alius debet, voce quieſce, decet.
Hoc ſtatuit rex Henricus, qui nominis ejus
Octavus nobis integra jura dedit.
Si quem defunctum vel bina prole parentem,
Mors grauis abripiens in cava buſta trahet;
Qui tabulas nullas ſcripſit, nullumq́; reliquit
Hæredis certi nomen, vterq́; petat.
Iudicis hoc ſacri eſt munus, dicatur & hæres,
Et bona poſſideat quem jubet ille patris.
Nominet indignum, fac cauſſa nominet auri,
Nullus erit, cujus q uærere poſſit opem.
Sic ſolet; in rebus modicis ubi damna putantur
Parva, modus nobis iſte tenendus erit.
Fortia concordis ſerventur vincula pacis,
Creſcat amor verus, non violanda fides.
Da de jure tuo, minor eſt jactura carere
Quod modicum eſt, pacem quám violare bonam.
Hoc debes patriæ, reſpublica poſtulat, inter
Concives flagrans ut teneatur amor.

Ergo.

Defuncto domino, nec declarante ſuarum
Hęredem rerum quem poſiturus erat.
Sanctior hæredem judex pro jure creabit
Quolibet inuito, iudiciumq; ratum eſt.
Gnoſiacum appelles Minoa, nec ille juvare
Iudice ſacrato diſcutiente volet.

SOLA POENITENTIA INFIRmatur teſtamentum. Arg. ¶. ſi hæres. *ff. ſi tabulæ teſtamenti nulla* extabunt.

EST teſtamenti faciendi formula priſca
Solennis, tali conſtabilita modo.
Ut ſine ſeptenis non fiat teſtibus, hæres
Ut non impellat, ſollicitetve patrem.
Languida membra licet mens ut non ægra gubernet,
Vt teſtes propria ſignet & ille manu.
Si tamen iſtius ſolvantur vincla ſigilli,
Qui faciet, minor eſt, irrita cuncta, labor.
Aſpicis ut longo, quæ tempore creuerat, vlmum
Excindat venti vis violenta ſtatim.
Erigit in multos excelſa palatia princeps
Annos, quæ famæ ſtent monumenta ſuæ.
Cum ruit, hæc uno balliſtæ diſjicit ictu
Miles, quæ multo condidit ille die.
Contrahitur ſubito morbus, depellitur ægré,
Qua perit, haud ipſa quæritur arte ſalus.
Vt valeas, victu tenui medico q́; perito
Utendum, ſolus tu tibi cauſa mali.
Sic teſtamentum qui fecit ritibus uſus
Multis, id proprio ſolvere jure poteſt.
Siq́; prius ſtudium iam depoſuiſſe videntur
Hæredes, domini ſeraq́; fata putent.
Scripſerit ipſe novos, rerum potientur, & illud
Infirmat ſcriptum, pænituiſſe ſui.

Ergo.

Non, in quas blando tabulas irrepſeris, ore,
Ante obitum domini, dixeris eſſe ratas.
Auferet id ſolus tibi, quod non detulit ille
Solus, quodq; tuum iam fuit, ejus erit.

CANTABRIGIÆ EX Officina *THOMÆ* THOMASII. *Iulij.* 5. 1585.